



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 2. De Consilio Iudæorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

bus, & benedictionibus tum excipimus; cum in Confessione sincerè exponimus omnia peccata: itemque cum pro beneficijs in nos collatis Maiestati ipsius gratias agimus.

8. Christus gloriam suam voluit missam esse humilitate: ut qui pullo asini veheretur, animali scilicet, ad vilia plebis opera destinato. Sic & nos, ubi vel externa laude, vel externa tentatione ad vanam gloriam extollimur, reuocemus in memoriam nostræ conditionis utilitatem, quamque in rebus omnibus miseri & imperfecti simus.



MEDITATIO II.  
DE CONCILIO IV-  
DÆORVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- Mat. 26 I. Christus, circa Pascha denunciatur discipulis passionem, dicens fore, ut post biduū tradatur, & crucifigatur.*  
*Mar 14.*  
*Luc. 22.*
- II. Principes & Seniores cum Caipha consilium inierunt, ut eum dolo tenerent, timentes plebem.
- III. Sathana in Iudam intrante, abiit ille ad Iudeos congregatos, spondens se traditurum. & constituerunt ei 30. argenteos.

FI-

FIGVRA.

**F**RATRES Iosephi, cum eum ad se venientem adspicerent, stimulante invidia de eius nece cogitabant: & consilio inuito dicebant inter se: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum.* Gen. 37.

Fratres Iosephum Ismaclitis viginti denarijs vendiderunt. *Ibidem.*

PROPHETIÆ.

**F**Oderunt foueam, ut caperent me, & laqueos absconderunt pedibus meis. Tu autem Domine scis omne consilium eorum aduersum me in mortem. Hier. 13.

In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam, consiliati sunt. Psal. 30.

Dixerunt inimici mei, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum dicentes; Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum. Psal. 70.

Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Zach. 11.

Vendiderunt Iustum pro argento, & pauperem pro calceamento. Amos 2.

DOCUMENTA.

- I. **Q**VI alijs vel atate, vel scientia, vel dignitate præstant, ij operam dare debent, vt præstent etiam sanctitate & legum obseruatione; vt possint non modò consilio, sed

fed etiam vitæ exemplo sibi creditos adiuvare. Caveant verò sibi, ne suo exemplo cuiquam occasionem dent ruinæ, quod ab istis Sacerdotibus & Senioribus Iudæorum commissum est: qui suo iudicio Christum morte dignum pronunciantes, causam præbuerunt populo, ut peruerso iudicio ipsorum sequens auctoritatem, contra Christum insurgeret.

2. Si Iudas Apostolus Christi, qui cum Christo conuersabatur, eius doctrinam audiebat, & miracula præ oculis habebat: tamen sola occasione loculorum, qui erant ipsi commissi, ita per auaritiam exæcatus est, ut animum posset inducere, ut Dominum suum venderet: quid nobis fiet si non cautè caueamus peccatorum occasiones?

3. Qui principio vim sibi non infert, nec vincit animi vitiosas inclinationes, magno est in periculo ruinæ. Diabolus enim in quam partem inclinari nos intelligit, in eam nos suis tentationibus & grauibus impellit, & facilius prostermit.

4. Quemcunque sermone aut exemplo ad peccatum inducimus, ei Christum vendimus, per eius peccatum iniuria afficiendum, & crucifigendum.

5. Quot cupiditatibus tenemur rerum terrenarum, honoris, scientiæ, opum, voluptatum corporis, tot loculos cum Iuda circumferimus, id est laqueos quibus capiamur, & trahamur ad interitum. Omittamus hos loculos, ne pereamus: neque enim Apostolorum vilius perijt, nisi qui loculos habuit.

6. Quoties Dominum offendimus, ut nostræ cupiditati facimus satis, aut illius diuinas inspirationes contempnimus: toties Christum vili precio vendimus, & multo viliori nunquam, quam illum Iudas vendiderit.

MEDI-